ste. In hac vero pia mater nutrit eũ vberibus pietatis. instruẽdo. exhortando. ⁊ assidue pro eo orando. sicut ostenditur in introitu misse. vbi dic̃ Miserere mei domine quoniam ad te clamaui tota die. ⁊ assignat causaꝫ que monet eam ad clamandum cuꝫ subdit. Quoniam tu domine suauis es ⁊ mitis ⁊ copiosus ĩ misericordia inuocantibus te. Est enim suauis ad se dulciter reuocando. Mitis spaciuꝫ penitencie indulgendo. ⁊ copiosus ĩ misericordia. peccata omnia condonando. Sequitur collecta in qua orat graciam. preuenientem ⁊ subsequentem. ⁊ dicit. Tua nos domine gracia preueniat ⁊ sequatur. Et est gracia preuiniens que purgat ⁊ illuminat mentem ⁊ informat voluntatem. vt boni simus ⁊ bonum velim⁹ Subsequens est que facit conualescere. ⁊ informat opus vt meritorie operemur. ⁊ est eadem gracia hec ⁊ illa. sed sortitur diuerso nomine propter diuersos affectus. seu propter diuersum modum. quia prima operatur in nobis. scda nobiscum. Unde dicitur. prima Corinthiorum decimoquinto. Habundancius omnibus laboraui. non ego. sed gracia dei mecum. Et notantur in hoc euangelio tria.

Primum est humiliatio seu dignatio diuine maiestatis. ⁊ hoc quo ad ingressum domus pharisei. quod notatur cum dicit. Cum intraret ihes⁹ ꝛc.

Scdm est ostensio diuine virtutis. ⁊ hoc quo ad curationem ydropici. cũ subditur. Et ecce homo quidã ydropicus. ꝛc.

Tercium est doctrina humilitatis. ⁊ hoc subiecta parabola cũ additur. Cum inuitatus fueris. ꝛc. Dignatio diuine maiestatis insinuatur ex quatuor.

Primo ex loco. quia intrauit domuꝫ alienam tanq̃ mendicus ⁊ pauper. Unde dicitur. Mathei. viij. Filij hominis non habet vbi caput reclinet. Non enim habuit propriuꝫ hospicium in hoc mundo. ij. Corinthiorum. viij. Propter nos egenus factus est cum esset diues vt illius inopia diuites essemus. Nam per consideratioñe altissime paupertatis quã pro nobis assumpsit contempnimus hic temporalia. ⁊ studemus ditari spiritualibus bonis. que vere diuicie sunt. ⁊ ad eternas diuicias ducunt.

2 Scdo dignatio domini ostenditur ex persona ad quam intrauit. non in quancunq̃ domuꝫ. sed pricipis phariseorum. vt eum argueret ⁊ sanaret spiritualiter. Pharisei nanq̃ ypocrite erant ⁊ supersticiosi ⁊ ei specialiter aduersabantur. ⁊ hec est causa quare frequentius legitur comedisse in domibus peccatorum. Johannis. iiij. Ego cibũ habeo manducare quẽ vos nescitis. Propterea intrauit ĩ domum inimici tanq̃ amicus. vt eum ad beniuolenciam traheret. Psalmista. Cum hijs qui oderunt me pacificus eram.

3 Tercio dignatio domini ostenditur ex tempore. quia ĩtrauit illuc die sabbati. miracula facturus. ⁊ multitudinem instructurus. Principes nanq̃ iudeoꝝ solebãt eo die cõuiuiũ celebrãre

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iii-182/0520
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG